Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1615
Quelle:
Copyright:

torum facta plena congregatione omnium magistrorum vniuersitatis studij pragen. de mandato honorabilis viri magistri Waltheri Rectoris dicte Vniuersitatis per Hannsconem et Nicolaum album nuncios Juratos predicte Vniuersitatis vocatorum sub hac forma verborum. Hic recitatur Codicillus convocatorius; et ante quam ultèrius procedam, noto, Librarium supra in anno consignando omisisse *tertio*; hunc enim et *Indictio* XI. et *Bonifacii annus* XIV. et ipsa petit Historia teste *Boh. Balbino Boh. doctae* P. I. p. 80. ubi tamen pro 28. *Maji* habetur 18. Item Rectorem *Waltherum*, cui per decursum cognomen est *Harrazzer*, ignotum *Balbino* fuisse. Narrat deinceps Notarius *Michael*, ut in calce, *natus quondam Nicolai de prachaticz* porrectos sibi *duplices articulos in pergameno* a Rectore publice praelegendos, quos etiam recitat hoc praefamine: *Hec Wikleff in Anglia que fuerunt condempnata Londonijs Anno domini Millesimo Tricentesimo Octuagesimo a tredecim Episcopis et Archiepiscopo Canthuarien. et a XXX^ta Magistris in Theologya. Sequitur primus Articulus. Substantia materialis panis et vini manet in sacramento altaris* &c. prout habentur in *Cochlaei Hist. Hussit.* L. I. et in Concilii *Constant.* Actis. Omisit tamen Librarius iterum unitates; Concilium enim illud *Londini* celebratum est a. 1382. Lectis Articulis *Waltherus* Rector rogavit sententias *et secundum pluralitatem votorum* conclusum fuit: *quod nullus dogmatizet et predicet uel asserat publice uel occulte supradictos articulos — sub pena prestiti iuramenti.* M. *Job. Hussum* huic Congregationi interfuisse, dubium vix est, jam a. 1393. creatum Baccalaureum. Concludit denique Notarius more consueto nominando etiam Testes, qui erant *Georg. Mathie de knyenicz, Nicolaus de ygla, Nicolaus de Yglauia Olomuc. dyoc.* et *Paulus Nicolai de alta muta* (Hohenmaut) *lutbomisslen. dioc. Scolares*, et singulare hoc adcurationis suae subdit specimen: *Constat mihi Notario predicto de rasura in quarta linea a capite presentis instrumenti computando facta, que facta est non vito* (invite) *sed errore. Ignoscatis.* 2) Prosequitur Codex: *Non obstantibus premissis articulis tenorem infra scripte litere seu declarationis producunt Wiklefite et in Vniuersitate pragen. produxerunt pro excusatione ipsius Wikleff ac pro defensione erroris sui qui sunt de secta sua. Creditur autem et verisimiliter putatur quod talis litera sub tali tenore per Cancellarium studii Oxonien. ac de scitu et consensu Vniuersitatis nunquam sit data. sed quod dolose sit excogitata et fabricata per illos qui sunt de secta sua.* Sequitur igitur Testimonium illud impudenter confictum, ut ostendi *Vol.* I. P. 1. *col.* 875. 3) *Sequitur responsalis ad ipsam* (Literam) *que enervat vigorem eiusdem litere per rationes*

et